



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Bonaldi Societatis Iesv Theologi, Divina
Ecclesiae Oeconomia**

Bonald, François

Coloniae, 1611

XXIV. De mirabili auxilio quod à donis spiritus sancti Christianis præstatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48916)

CAPVT VIGESIMVM
QVARTVM.

De mirabili auxilio, quod à Dono
Spiritus sancti Christia-
nis præstatur.

Jacob. 1.

Verissimum est, quod ait Iacobus,
Omne datum optimum & omne do-
num perfectum de sursum est descendens
à patre luminum, qui fons est & origo
totius boni; Sunt tamen quædam do-
na, quæ (vt Theologi loquuntur) spe-
cialiter spiritui sancto tribuuntur; tū,
quia via inspirationis donantur; tum,
quia faciunt & habilitant homines,
vt recipiant & exerceant perfectissi-
mos spiritus sancti motus, ac afflatus.

D. Thom.
1. 2. q. 68.
a. 1.

Isaia. 11.

ait; Et requiescet super eum Spiritus Do-
mini. Spiritus sapientiæ & intellectus spi-
ritus consilij & fortitudinis; spiritus sciē-
tiæ & pietatis: & replebit eum spiritu
timoris Domini. Quamuis enim secun-
dum Hieronimū hoc propriè de flo-
re illo pulcherrimo ex radice esse af-
cédēte, id est Christo de B. Virgine na-
co, sit propheta: ū, in quo omnis pleni-
tudo

tudo gratiæ, & virtutum corporaliter habitavit: Nihilominus tamen cum S. Greg. hom. Gregor. dicere licebit, hæc etiam im-^{19. in Eze.} pleri in anima quæ in timore Dei vi-
uit, Nam vt inquit Dominus, *Ad quem* ^{Isa. 66.} *respiciam: nisi ad pauperculum & contri-
uum spiritu, & tremente, & verba mea, &*
Ioannes: Quoniam de Spiritu suo dedit ^{1. Ioan. 4.} *nobis, & Apollolus: Per spiritum sanctū,* ^{Rom. 5.} *qui datus est nobis.*

Vt autem intelligamus, quam uti-
lia sint hæc dona, & quanta commoda
afferant, notandum est iuxta Docto-
res, hominem duobus principijs adiu-
tum, ad bonum duci, interno vno,
externo alio: Internum est ratio, ex-
ternum Deus. Ratio autem perfi-
citur primo suo naturali lumine,
quod Synderesis appellatur, Secun-
dò virtutibus, tam Theologicis, quam
Moralibus supernaturalibus, cum au-
tem hæc virtutes in hac vita admodum
imperfectæ sint, necesse est hominem
quotidie à Deo diuinis motibus, & in-
spirationibus adiuuari, ad quæuis dif-
ficilia superanda, & fortuita, quæ
vix vllam deliberationem admittunt,
cautè perficienda: Non est autem con-
ueniens

D. Thoma.
vbi sup.

ueniens hominem tales inspirationes recipere, nisi præuijs quibusdam dispositionibus Deo largitori proportionetur; nam omnes docti admittunt inter mobile, & mouentem debere esse aliquam proportionem: Virtutes autem supernaturales & infusæ iuuant hominem, sed humano modo, id est, via ratiocinationis & consultationis; oportet ergo esse alias dispositiones, quæ iuuent absque ratiocinatione & discursu ad recipiendum, & effectum mandandum tales inspirationes. Si autem tales dispositiones necessarie sint, absque dubio Deus qui non deest in necessarijs, illas amicis suis communicauit. Donans itaque gratiam & charitatem, per quam amici Dei constituimur, etiam hæc dona largitur, quæ nihil aliud sunt, quam certi quidam habitus, quibus anima disponitur ad speciales spiritus sancti motiones, & instructus diuinos recipiendum. Dico habitus, eo quod tam diu in anima permaneant, quam ipsa gratia manet; nam ut inquit Ioannes, *Deus est charitas, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo; non est autem putan-*

1. Ioan. 4.

Deo manet, & Deus in eo; non est autem putan-

putandum, Deum locum habitationis
suae otiosum insidere, nec eum gratijs
& donis supernaturalibus, quam diu
ibi habitat, exornare. Legimus arcam
Testamenti tantam prosperitatem ^{2. Reg. 6.}
Obed - Edom apud quem deposita e-
rat contulisse, ut ipse Rex David repe-
tendam, & in ciuitate sua collocandam
censuerit, ut & ipse huius benedictio-
nis particeps fieret: Si autem praesen-
tia arcae materialis tantam prosperi-
tatem contulerit homini mortali,
quantam praesentia Spiritus sancti
donabit animae immortalis. Ideoque
Ecclesia Spiritum sanctum fontem
vium appellat; sicuti enim talis fons,
a perpetua aquarum scaturigine non
cessat; ita nec Spiritus sanctus donorum
suorum collationem vnquam inter-
mittit.

Quis ergo sapientiam & bonitatem
Iesu Christi non admiretur, qua
Christianis tanta, tamque conuenien-
tia auxilia, qualia sunt Virtutes, &
Spiritus S. dona, elargitur? Virtutes ^{Effectus}
infusae ad exercendas operationes su- ^{donorum}
pernaturales, licet humano modo, Spiritum S.
adiuant: Dona spiritus sancti homi-

N

nem

nem ad idem habitant, sed modo plus quam humano, ut supra explicavimus. Per donum enim Sapientiae homo ex causis, & rationibus altissimis procedens, rectum & certum iudicium de rebus fidei colligit. Per Intellectum mysteria supernaturalia penetra. Per Consilium expedite, prompteque bonum a malo discernit; quid nociturum, & quid profuturum diiudicat. Fortitudo ad prosequendum & perficiendum inchoatum bonum, superatis quibusvis difficultatibus, quae impediunt, animat. Scientia intellectum iuvat, ut ex causis inferioribus, in rebus fidei infallibile iudicium ferat. Pietas ad cultum Deo debitum exhibendum disponit. Timor denique, ut Deum tanquam suum Patrem coelestem bono ac vero filiali affectu reuerentur inclinat.

Annon ergo magni ponderis haec Spiritus sancti dona sunt? nunquid non Christianis magno ornamento magnaque laetitiae & consolationis causa existunt? Quid enim pulchrius quam a Deo regi, instruique? quid delectabilius, quam diuinas eius inspiraciones, &

Nihil pulchrius quam a Spiritu S. regi.

nes, & Spiritus sancti instinctus per-
sentiscere? quid utilius, quam in qui-
busuis ambiguis, & maximè dubijs
negotijs, vbi omne consilium & ratio
humana deficiunt, Dei peculiari di-
rectione regulari? Certum autem est
difficillimum, imò impossibile fore
animabus Christianis, quæuis obsta-
cula, quæ viam cælorum intersepunt,
perrumpere absque peculiari Dei as-
sistentia: & sublata etiã omni difficul-
tate, iter illud cæleste absque his donis
sine vlla cõsolatione, ac spirituali gau-
dio conficiendum esset; Quã enim iu-
cunditatem ex operibus virtutis, na-
turæ difficilibus capiẽt, si Spiritus pa-
racletus molestias alleuians, & diffi-
cultates facilitans abfuerit? Quis ma-
ligno spiritui, eiusque satellitio resi-
stet, nisi Spiritus Sauctus pro nobis de-
certet.

Domestici itaque Christi se conso-
lẽtur & lætentur, quia ipsi sunt, quib.
septiformis munere Spiritus collatus
est: ceteri enim vti tenebrarum filij à
Spiritu tenebrarũ aguntur, ducunturq̃;
Soli Christiani, vti filij lucis à Spiritu
luminum diriguntur; Vnde Psal.
N 2 mista

*Hæc dona
sunt Chri-
stianorum.*

Pfal. 142. *mista ait, Spiritus tuus bonus deducit*

Rom. 8. *me in terram rectam: & S. Paulus, Q*

Spiritu Dei aguntur filij Dei sunt: Q

autem, nisi Christiani? illos dico, q

in gratia Dei viuunt; Illi enim

quibus Spiritus sanctus, eiusque don

tanquam De filijs communicantur

Quæ dona, quamuis non semper, ne

in omnibus ea habentibus, tam ex

denter appareant, certum tamen e

ea ibi esse; idque duas præcipue

causas euenire Doctores aiunt, Primi

quia non semper se præsentat occasi

ea exercendi: secundò, quia non sem

per ea exerceri expedit; nam De

qui omnia suauiter disposuit, & forte

ter, voluit vnum donum in vno, aliud

altero excellere; tum ad fouendam

humilitatem in eo, qui minus de ho

dono videtur habere; tum ad nutriendam

charitatem, dum ab alio perficitur,

quod illi deesse videtur. Atque

his duabus potissimum de causis,

dona Spiritus S. non semper in effectu

prodeunt; & à nostra etiam voluntate,

subinde impedimentum ponitur; nã

Spiritui Sancto cor humile perplacet;

ideoque vbi plus humilitatis reperit,

perit,

D. Tho. v-
bi sup.

Cur non
semper do-
na ope-
retur.

perit, amplius operatur: Si autem per
 superbiam ei resistatur, aut tales om-
 nio deserit, aut inspirare desinit. Si er-
 go desideremus Spiritum S. frequen-
 ter aliquid in nobis operari, summam
 humilitatem ac docilitatem reperiat
 oportet; ac nos ipsi summopere caue-
 re debemus, ne vel minimæ eius in-
 spirationi resistamus; Vnde Apostolus
 ait, *Nolite contristare Spiritum sanctum*
 Dei: Is enim eum contristat, qui eius
 motionibus non acquiescit, vt pro-
 pria suæ voluntati satisfaciat. Nol-
 lem tamen dicere, quod quotiescunq;
 sentit quis se ad aliquid, maximè ex-
 traordinarium impelli, existimare
 hunc debere motum talem à Spiritu
 S. esse; frequenter enim fraus & dece-
 ptio subesse possunt; Ideoque S. Ioan-
 nes nos monet, vt non cuius spiritui
 à Deo sint; & Apostolus dicit, Sathanã
 se frequenter transformare in angelũ
 lucis, vt minus cautos decipiat. Vt au-
 tem vera inspiratio à falsa discerna-
 tur, videndum imprimis est, num id
 ad quod impellimur, rationi, legi hu-
 manæ, aut diuinæ contrarietur; quod

Ephes. 4.

Non cre-
dendum
cuius spi-
ritui.

1. Ioan. 4.

2. Cor. 11.

Nº 3

si con-

si constat, apertum est hunc motum
Sathanæ esse, & non Dei impulsurum.
Secundò maturè considerandum est
quod licet id quo trahimur bonum
sit, pium, & à sanctis viris actitatum,
num tamen nobis expediat, cum multa
sanctorum facta admirari potius de-
beamus, quam imitari: Tertio confi-
dendum est ut sapius Deum rogemus à tem-
ptatione diabolica liberari, & de san-
ctæ suæ voluntate edoceri. Quarto ne-
cessarium est, ut Prudentum ac sapie-
ntium consiliū inquiramus, & sequamur,
quando clarè non videmus, aut dulce-
ter non sentimus, quo nos spiritus
afflatus impellat. Atque hi sunt modi
quos in eiusmodi negotio observare
volunt vitæ spiritualis magistri, & in-
formatores.

*Conclus.
dictorum
de Gratia,
Virtutibus
& Donis.*

Hunc itaque tractatum, & quicquid
de gratia, virtutibus, & donis eam com-
mitantibus, aut consequentibus dictum
est, concludens dico, Summopere nos
admirari debere sapientiam Christi,
qui hæc omnia, ita prudenter & pro-
vidè ordinavit: Ineffabilem autem
eius amorem, quem fidelibus anima-
bus, sponis suis, eas pretiosissimis e-
iul-

iusmodi gemmis ornando exhibuit, laudare oportere; Ex ipso enim omnis gratia virtusque procedit, & ut inquit Ioannes, *De plenitudine eius omnes acceperimus*; Abique eo, ut docet Hieron. nullus Sapientiam, Intellectum, consilium, Fortitudinem, Scientiam, Pietatem, aut timorem Dei possidet. Assuerus ubi Esther in uxorem accipere decreuisset, iussit ei dari myrras, the- ristra in aures, murenulas, annulos, torques, & quicquid ad cultum Reginae pertineret. Fuit hoc figura eius quod Christus sponsae praestiturus erat. De qua sponsa David cecinit. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata a varietate*. Regina hæc est anima fidelis, vestis charitas & gratia, varietas qua circumdatur sunt virtutes, & dona spiritus sancti, ornamenta sanè tam pulchra & diuina, ut humanis omnibus conculcatis, hominè quasi diuinum efficiant.

His autem maturè ac benè confideratis anima fidelis, plus quam sufficientes rationes inueniet, obuijs vlnis hæc dona amplexandi, & pro obtentis gratiarū canticū perfoluèdi, certū est,

N 4 quod

Ioan. 1.
Hieron. in
11. Isa.

Hester. 2.

Psal. 44.

Beneficijs
his bene
utendum.

quod in amore Dei fundabitur, ac in
laudem eius abrepta, continuo eius
beneficia decantabit. Illos autem, qui
hanc gratiam semel susceptam, & ea
ea nullum fructum fecerunt, aut eam
suo malo perdidit, præ pudore
dolore emori deceret, cum citra com-
parationem multò melius eis fuisset,
omnia huius mundi bona prodegisse,
quam vel vno momento sine Dei gra-
tia, cum eo inimicitias coluisse.

O beatos itaque nos, imò terque
quaterque beatos, si gratiam, virtutes,
ac spiritus sancti dona, quæ Christus
suis domesticis, tam liberaliter distri-
buit, conseruauerimus & auxerimus,
iuxta Euanglij præscriptum, & re-
gulam actiones talium virtutum, ac
donorum sedulò exercentes. Hoc e-
nim, si præstiterimus, nihil nisi sum-
mam felicitatem, & hic & in futu-
ra vita nobis polliceri po-
terimus.

CAPVT